



personae, cui concessae, sed et eius heredi et fideiussori competunt u).

§. X.

Legibus firmatur.

Sed quid opus est anxie ad hancce stabiendam sententiam multa conquirere argumenta cum clarae leges expresse eam firmant. Evolvas enim sis

- a. L. 9. §. 3. ff. de Scto Macedoniano, quae nulum plane dubium relinquit, ibi Vlpianus expresse sic: *Non solum filiofamilias, et patri eius succurritur: verum fideiussori quoque, et mandatori eius: qui et ipsi mandati habent regressum: nisi forte donandi animo intercesserunt. Tunc enim cum nullum regressum habent, senatus consultum locum non habebit.*
- b. Idem legimus in Lege 7. pr. ff. eodem, ubi Idem sic: *Sed Julianus adiicit, si color quaestus sit, ut filius familias, qui mutuum accepturus erat, fideiuberet alio reo dato, fraudem Scto factam nocere, et dandam exceptionem tam filio familias, quam reo, quoniam et fideiussori filii subvenitur.*
- c. Idem iuvenimus in L. 2. ff. quae res pignori vel hypothecae datae obligari non possunt, ubi: *Si*
- u) L. 7. §. 1. ff. de exceptionibus. ibi enim: *Rei autem cohaerentes exceptiones etiam fideiussoribus competit. — Idem dicitur, et si pro filiofamilias contra Sctum quis fideiusserit &c.*